A. D. 1886.

CURRENDA XV.

Nr. 122
praesid.

IGNATIUS ŁOBOŚ

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS,

SUAE SANCTITATIS SUMMI PONTIFICIS PRAELATUS DOMESTICUS

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS,

PATRICIUS et COMES ROMANUS.

MUNICIPIORUM DROHOBYCZ, BIECZ, LEŻAJSK CIVIS AD HONORES,

Comitiorum Regnorum Galiciae et Lodomeriae Magnique ducatus Cracoviensis Membrum.

Universo Venerabili Clero tum saeculari tum regulari

Salutem et Pastoralem Benedictionem!

In solemni ingressu Ecclesiae hujus Tarnoviensis, quae ad altissimam propositionem Suae Imperialis ac Regiae Majestatis Augustissimi Imperatoris nostri et Apostolici Regis Francisci Josephi, a Sua Sanctitate Divina Providentia Leone PP. XIII in solemni conventu S. R. E. Cardinalium die 15 Januarii a. c. mihi immerito concredita est, ad Vos V. V. Fratres et Cooperatores et Filii dilectissimi extollo vocem meam. Veni ad Vos Carissimi per ostium, quod est Christus Dominus, aperiente ostiario, cujus virtute obumbrante, Ille Filius Dei, consubstantialis Patri, descendit de coelis et habitavit in nobis. Veni in Nomine Ejus, quo quotidie in ecclesia pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius Summae Divinitatis participes efficimur. Et quamvis peregrinus, missus venio ab Ipsius Vicario, qui in universo terrarum orbe non est peregrinus, sed Pater et Rector Supremus, visibilis petra, supra quam coelestis urbs Jerusalem, sancta videlicet Ecclesia aedificatur, crescit, ornaturque ut Sponsa Spiritus Sancti charismatibus circum-

cincta. Et vel ideo gratulanter a Vobis Fratres Venerabiles, Filiique carissimi salutatus fui et exceptus. Sed quamvis ex vestra adhaesione animum meum incrementa capere oporteat, tamen cum S. Gregorio Naz: dico, „me in tristitia et luctu hanc ascende' cathedram. Nam profecto ars artium et scientia scientiarum mihi videtur hominem regere Si gentium Apostolus salutem nostram cum metu et tremore jubeat operari, quid mirum, me infirmitatibus circumdatum contremiscere, ne elevatus allidar, ne aliis praedicans, ipse efficiar reprobus. Ex verbis Domini: „Estote perfecti, sicut Pater vester, qui in coelis est, S. Isidorus Pel.: deducit monitum: „Tantum inter sacerdotem et quemlibet probum „interesse debet, quantum inter coelum et terram". Ad me clamat S. Petrus Chrysol: „In alto gradu positum oportet in virtutum culmine erectum esse, alioquin non ad meritum, sed ad proprium praeeris judicium". Cum sublimi igitur dignitate, ipsis angelicis humeris formidandum suscepi munus. Et quidem pro Christo legatione fungens in iis, quae sunt ad Deum, fidei sanctae depositum custodire, infidelitatis tenebras ac ignorantiae commenta lumine scientiae et sapientiae divinae repellere, insurgentesque contra Ecclesiae auctoritatem inimicos virtute constantiae vincere debeo. Pro Christo legatione fungens, tamquam Deo exhortante per me, instare obligor opportune et importune, ut Deo reconcilientur omnes. „Bene enim agere—dicit S. Augustinus — et illicita non prohibere, erroris consensus est".

Sciat tamen Caritas Vestra, me alta memoria tenere monitum Apostoli: „Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior". Non dicit Princeps Apostolorum: „qui super vos sunt" sed: „qui in vobis sunt", ut clare pateat, quod sequitur: „Non dominantes in clero" i. e. vobis imperiose subjectum esse volentes in omnibus (S. Aug.). Haec prae oculis tenens, nunquam auctoritate mea abusus sum, nec abutar, ut prohiberem Clerico vel prohibere attentem, juribus gaudere, quibus lex ecclesiastica eundem gaudere sinit. Nec uno momento obtiviscar moniti S. Pauli de Pontificis dotibus loquentis: „qui condolere possit „iis, qui ignorant et errant, qui compati sciat infirmitatibus subditorum". Verum hortante S. Augustino: „Lenitas et mansuetudo adhibenda est, ubi proficit".

His animatus desidero, ut cum S. Paulo dicere possim: „Quis infirmatur, et ego non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror?" — desidero, ut juxta Pontificalis Romani monitum in corrigendis vitiis sim pie sapiens, judicium sine ira tenens". His repletus quotidie fundo preces ardentes, ut „potens sim in doctrina sana, ut omnibus sim exemplo in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate".

Tota mente Aeterno animarum nostrarum Pastori supplico, ut Clerus meus procul „a saecularibus negotiis, arreptis militiae nostrae armis, quae non sunt carnalia, sed potentia Deo", mecum vigilet, oret, certetque bonum certamen, coronamque assequatur immarcescibilem.

Levate mecum et vos Angeli, homines DEi castas mentes et puras manus ad Eum, qui elegit nos absque meritis nostris in sublime ministerium Suum, et mecum ob-

secrate, ut videat visitetque vineam istam Tarnoviensem, ut hunc gregem suum Pastor aeternus non deserat, sed intercedente Beatissima DEi Genitrice, Dioeceseos Nostrae Patrona, per Beatos Apostolos Suos continua protectione custodiat.

Sic orantes omni studeamus conatu primum nos ipsos illuminare et purgare. Si quidem S. Gregorius Naz. monet Nos: „Primum sacerdotem ipsum purgari oportet, tum alios purgare, primum ipsum institui, tum alios instituere, primum lucem ipsum effici, Deoque appropinquare, tum demum alios ad Deum adducere, primo sanctificari, tum alios sanctificare. Accipiamus Fratres carissimi armaturam fidei, et stemus succinti in veritate, et induti loricam justitiae, calceatis pedibus in praeparatione Evangelii, abundemus in opere Domini, semper scientes, quod labor noster non erit inanis in Domino. (Ephes. 6. I. Cor. 15.)

Huic allocutioni Nostrae adjungimus Benedictionem Nostram ex animo adprecantes a Domino, ut illam fecundare dignetur pro Vobis ac curae Vestrae commissis fidelibus, ad quos separatam dabimus epistolam ex sacro suggestu proxima Dominica vel festo promulgandam.

Pro die 23. h. m. ordinamus, ut quilibet Rector Ecclesiae populo suo inthronisationem Nostram annuntiet, hacque die Sacrum ad intentionem Nostram celebret, quo absoluto, „Te DEum laudamus“ coram Exposito Sanctissimo cum versiculis et oratione convenienti absolvat, et una cum fidelibus pro felici regimine 3 Pater et 3 Ave Maria devote recitet.

Dabamus Tarnoviae in Festo Patrocinii S. Joseph die 16 Maji 1886.

IGNATIUS, Eppus.

Tarnoviae 1886. Typis Josephi Pisz. Impensis Cleri Dioecesanis.

